



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digressio 32. de motu, ad tex. com. 65.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

ac planè existimare illud dici *potest*, quod de potestate transit ad actum; nunque primum fit actu, cum antea potestate esset. Hoc enim profus & patitur & mouetur; idemque in eo sunt pati, moueri, & fieri actu. Atque ita res habet in sensu.

Philosophus autem hac sola argumentatione probauit hæc tria esse idem; quoniam motus, cum quo manifestum est coniunctam esse passionem, est *visio* quædam, vt in tertio libro Physicorum habetur. Est enim operatio, qua aliquid de potestate transit ad actum. Tamen *visio* sit imperfecta; quoniam admittam habet *diuersum*, vt eo loco pluribus declaratur. Sed neque nunc omnino prætermittendum est; vt hic locus planè intelligatur.

Digressio xxxi. De Motu.

Motus est esse.

Motum qui negarunt, etsi propria sit operatio naturæ, scientiis omnibus & opinionibus iniuriam fecerant. Nam omnes sensuum iudicio coacti cum admittunt; eoque scientiæ omnes & artes vtuntur: vel quod aliquo motu omnes comparentur: vel quod præctica motus quosdam dirigant, factiæ adhibeant, atque in theoreticis Mathematicæ & à motu reali abstrahant & imaginario vtantur; dum lineam motu puncti describunt, à puncto ad punctum lineam ducunt, & id genus alia. Metaphysica præcipuam sui obiecti partem, substantias abstractas, motu probatam supponat. Naturalis essentiam illius & proprietates diligenter peruestiget; propterea quod propria sit naturæ operatio, quæ nisi fuerit probè perspicua, eam quoque ignorari necesse sit.

Motus & Mutatio.

Motus igitur & mutatio Peripateticis tantumdem nonnunquam significant. Interdum vero mutatio aut in substantia dicitur, aut ea quæ inter contradicentia versatur, & in quouis entis genere momento absoluitur. Motus autem est in quantitate, qualitate, & vbi, aut inter contraria, & cum tempore ac successione perficitur; velur species quædam mutationis. Certe si nominum vis perpendatur, vel etiam dum absque distinctione vsurpantur; motus id videtur esse, quod quieti & statui aduersatur, tanquam habitus priuationis; mouerique propriè significat non sistere, sed vterius progredi. Mutatio autem variationem indicat, & transitu ex vno in aliud. Nec solum ita à mutatione separatur motus, sed etiam ab vtroque distinguitur productio; qua res significatur fieri cum antea non esset.

Productio.

At cum motu duo reliqua coniunguntur. Si enim res mouetur & non sistit, profectò mutatur, & ab vno transit ad aliud; & prout aliquid de nouo acquirit, alicuius quoque habet productionem; hocque præsertim in motu naturali, qui autem est alicuius acquisitio, aut cum acquisitione.

Motus radix.

Cæterum principium omnium & radix est potestas; iisque dantaxat conueniunt, quæ actu constant & potestate. Deus actus purissimus nec mouetur, nec mutatur, nec de nouo producitur. Sed quia compositio actus & potestatis oritur ex eo, quod quidpiam sit ens finitum & limitatum, quod ex pluribus velut partibus coagmentari debeat; reliqua omnia præter Deum aut physicam habent, aut certe metaphysicam compositionem: Suntque potestate aut interna & subiectiua, qua aliquid, quod non habent, possint suscipere; aut externa &

obiectiua, qua virtute agentis extrinseci possint esse, cum antea non essent. Propterea enim aliquid non sistit, sed vterius tendit; quia potest tendere acquirendo aliud. Et idè tendendo mutatur, quia potest ad aliquem actum & formam peruenire, abiciendo priorem. Quoniam tamen motus est operatio physica, physicam item potestatem requirit. Et idè motus, mutatio, & productio, quæ cum motu coniunctæ sunt, in his solum rebus reperiuntur, quæ actu constant & potestate physica.

Verùm incipiendo à motu, tria possunt in eo considerari. Primum est mouens & mouere; quod nil est aliud, quam agens & agere, seu actio. Alterum est id, quod mouetur & moueri: quod idem est, quod patiens & pati seu passio. Postremum est ipse motus per se spectatus, quatenus significat non sistere, sed progredi. In mutatione quoque spectari possunt id, quod mutat & mutare; id, quod mutatur & mutari: quæ duo cum agente & patiente, agere & pati, actione & passione coincidunt: ipsaque deum mutatio, prout est quædam variatio. Quomodo subiectum significat, quod variatur; & hoc cum eo coincidit, quod mutatur & patitur: & præterea duos terminos, inter quos fit variatio, vnum à quo recedit, & alterum, ad quem accedit. Denique in productione cernes & id, quod producit; & producere, quod ipsum cum agente & agere, seu cum actione conuenit. Deinde id, quod producit; quod si pro toto coniuncto sumatur, distinguitur tant à patiente. Quoniam in productione id solum patitur, quod suscipit formam, ex qua fit continuatum. At si pro sola forma accipiat, reperies quoque in productione id, quod patitur, & passionem, quam in subiecto ipsius formæ spectabis: quoniam illud est, quod suscipiendū patitur. Forma tamen producta coincidet potius cum termino ad quem, nam ad eam terminatur productio, seu ratione illius producitur totum coniunctum. Vltimò habebis ipsam productionem, quæ nouam significat acquisitionem, aut illius formam, aut coniunctum.

Motus porò etsi quatenus mutatione involuit, requirat terminos, inter quos versetur: quatenus tamen à mutatione & productione distinguitur, nil aliud significat, quam illud non sistere: nempe operationem, qua mobile non quiescit, sed vterius tendit. Et idè natura est principium motus & quietis; hoc est operationis huius, qua naturalia à non naturalibus distinguuntur; & quietis in termino per eam acquisito. Tamen non sola natura, sed efficiens quoque causa per suam naturalem formam principium est motus. In hac autem operatione vniuersa & est aliquid, quod mouet seu agit, & aliquid, quod mouetur & patitur; & ipse motus, actio, & passio; ac deum forma, quæ ab agente per motum producitur, atque in patiente suscipitur. Mouens, mobile, & forma, distinguuntur re aut certè possunt distingui. Actio autem, passio, & motus sunt solum operationes quædam velut mediæ inter agens & patiens, mouens & mobile. Neque rem vllam per se significant, sed aliquid in re: & idè nec considerantur, nec sunt præter ipsas res. At quoniam agens & patiens, mouens & mobile, videntur esse ipsis extraneas; quippe alterum est principium efficiens, alterum suscipiens: forma autem & operatio considerantur quasi inter ipsa mediæ: idè actio, passio, & motus, formæ magis quam

quã agentis & patientis, mouenti & mobili, sunt in-
terna. Atque hæc omnia, actio, passio, motus, &
forma, ab agente & patiente, mouente & mobili
distinguntur re, aut certè possunt distingui (Re-
liqui enim motus, vt progressiones sunt imperfe-
ctæ formæ ad suam perfectionem, ita sunt idem re
cum progrediente forma. At loci seu vbi, distinguitur
re à loco exteriori ambiente; atque in mobili po-
tius & vbi, termino interno, consideratur) sed in-
ter se sunt idem semper, solâque differunt defini-
tione. Nam eadem forma, vt est in subiecto & il-
lud format, appellatur forma, atque ab omni ope-
ratione abstrahit. Quia etsi omnis operatio ces-
set, in subiecto nihilominus est, & illud afficit. Vt
autem agentis virtute producitur & ab eo pen-
det, dicitur actio. Vt suscipitur in patiente, at-
que eius susceptione subiectum patitur, vocatur
passio. Vt demum non sistit, sed ulterius pro-
greditur & continenter aquiritur, appellatur mo-
tus. Estque sola operatio media inter agens & pa-
tiens, mouens & mobile, abstrahens ab utroque;
& idè diuersa ab actione & passione. Quin etiã à
mouere & moueri: quod mouere nil aliud sit, quã
agere; & moueri nil aliud, quã pati & suscipere, qua-
tenus nominant agens & patients. Magis tamen ac-
cedit ad moueri: quia si moueri sumatur pro eo,
quod est non sistere, abstrahendo ab eo, quod sit
ab alio, vel in alio; nimirum idem est, quod mo-
tus. Et cum motus significet non sistere, sed ultra
tendere: hoc non spectatur in mouente, quia ip-
sum non tendit, sed aliud potius impellit. Verùm
in eo potius, quod mouetur: quia vt mouetur non
sistit, sed ulterius progreditur. Ita mobile, quod ad
passionem pertinet, vt principium est patientis &
suscipiendi; pertinet item ad motum, vt est prin-
cipium ulterius progrediendi. Quoniam enim
formam non habet, quam habere potest; non so-
lum potest eam suscipere, sed etiam ad eam ten-
dere: motusque est operatio ulterius tendens, ve-
lut promotio & excitatio in formam: conuenit-
que ei, quod non est perfectum in actu, sed potestate
ad eam perfectionem. Quo intellectu loquens Philo-
sophus de mobili in 3. lib. Phys. Motum dixit esse
actum eius, quod est potestate, quatenus est potesta-
te. Et propterea esse actum imperfectum, quia ipsum
possibile est imperfectum. Et rursum, esse actum
mobilis vt est mobile; hoc est, aptum ad aliquam
perfectionem progredi. Sed quoniam id, quod est
aptum tendere ad perfectionem, qua caret, est etiam
aptum suscipere & pati; ex hoc autem non est aptum
agere: & idè id, cui debetur motus, coincidit cum
eo, cui debetur passio; non item cum eo, cuius est
actio; ostendit quoque idem Philosophus motum
non esse in mouente, sed in mobili. Dum tamen
eum vidit ab aliquo motore perfici, & in aliquo
subiecto suscipi; definiuit quoque esse actum
à motore in mobili, seu actum agentis &
patientis. Nisi etiam ita definiens considera-
uerit eum esse idem re cum actione & pas-
sione.

Verùm enim eò cum motus dicitur esse actus,
vel potest intelligi actus primus, quatenus motus
est idem re cum forma imperfecta ad suam perfe-
ctionem tendente: Vel (quod magis rationem eius
formalem explicat) actus secundus & operatio ad
ulteriore promouens perfectionem. A tunc autem
illius, quod nondum eam habet perfectionem

A & est aptum ad eam tendere. Ita vt hic actus re-
spondeat potestati, non suscipiendi, sed tendendi
ad perfectionem: tametsi ea non aquiratur, nisi
etiam suscipiatur. Certè Philosophus in 3. Phy-
sicorum libro motum considerandum suscepit tan-
quam operationem naturæ; & sæpè visus est hunc
actum operatione explicare. Et deinde ostendit
esse actum motientis & mobilis, esseque vnum
actum amborum: quoniam à mouente profectus
suscipitur in mobili. Alicubi etiam motum scripsit
non esse calorem, sed calefactionem; non inquam
formam, sed operationem. Etenim motum maximè
distinguntur à cæteris naturalibus. Non enim suas
omnes perfectiones habent semper & naturali sua
conditione; quemadmodum ea, quæ sempiterna
sunt & actu duntaxat; sed ad eas paulatim perue-
niunt: non ab externo principio receptas, sicut arti-
ficia; sed ab interno; quo sponte quasi excitantur
& ad illas actiue aut passiue promouentur. Hæc
que est natura, quæ propterea dicitur in naturali-
bus esse principium motus & quietis; hoc est
operationis, qua ad suam perfectionem promo-
ueantur & in ea acquisita quiescant. Motusque est
actus eius, quod est potestate vt potestate; hoc est,
operatio eius, quod suam perfectionem non ha-
bet & est aptum ad eam tendere: & idè est actus
imperfectus, quia ipsum possibile est imperfec-
tum; nempe quia est operatio includens potesta-
tem, & eius quod sua caret perfectione.

Est item actus successiuus; quia est actus ten-
dens & ulterius progrediens; velut actus eius,
quod est adhuc potestate: & tanquam operatio
naturæ, quæ nihil subito, sed omnia cū successione
& tempore exequitur. Vel si quid momento ab-
soluit, id alterius operationis successiuæ terminus
est; vt generatio substantiæ. Immo est essentiali-
ter successiuus. Nam & essentialiter est actus ul-
terius tendens, hoc est, succedens; & dicitur esse
de genere continuorum; & cum operationem
quamquam significet, nil aliud, quàm successio ad-
ferri potest, quo à momentanea operatione es-
sentialiter distinguatur. Quidquid enim aliud pro-
posueris, id aut erit utriusque commune, aut succes-
sionem includet. Esse productionem aut acqui-
sitionem formæ, fieri, venire ad esse, transire à non
esse, & si quæ sunt alia huiusmodi, aut successio-
nem continent, si vna pars succedat alteri, nec
tota forma simul fiat, sed sensim ad perfectio-
nem tendat: aut si non ita res habeat, momen-
tanæ quoque mutationi conueniunt; si pluri-
bus interruptis mutationibus vna pars post aliam
fiat.

Sunt qui essentiam motus in eo agnoscant, vt
ita fiat, vt inde successio velut proprietas con-
sequatur. At quid hoc sit, exponi non potest, nisi
successio nominetur. Vt sicut momento perficitur
mutatio, sic successione motus. Atque vt in mu-
tatione præter esse momentaneum nihil est, quod
in successiuo quoque motu non reperitur: ita in
hoc præter successionem nihil cogitur, quod
illius proprium sit. Ea demum superest distinctio,
quæ ex termino ad quæ peti posset. Verùm si pro-
pterea distinguas, quòd vno modo aquiratur ter-
minus motus, alio terminus mutationis; nimirum
hoc est, vnum aquiri successiuè, alterum subi-
tò. Erunt igitur successiuum & subitaneum essen-
tiales differentie. Nam si propterea distinguan-
tur, quòd terminus motus sit partibilis, habeatque

DDD iiii

contrarium; non item terminus mutationis: & idem ille cum tempore, hic subito comparetur: poterit in illo ipso termino motus intelligi, aut etiam diuina faltem virtute fieri momentanea mutatio: si aut interruptè per momenta producat, aut subito recedat contrarium, quod productioni moram adferbat. Illuminatio quoque, etsi partibilem habet terminum, momento fit. Et quamuis non reluctetur contrarium, in aliis atque aliis gradibus luminis producendis successione habet. Maior quidem, magisque essentialis terminorum distinctio in eo cernitur, quòd vnus sit substantia, alter quantitas, qualitas, aut vbi. At si ita philosophemur, prima & essentialis diuisio mutationis vniuersæ non esset penes successiuum & momentaneum; sed penes diuersas Categorias. Præsertim quòd differentie eæ, quæ sumuntur ex terminis, quatenus eas habent proprietates, quibus cum tempore aut momento aquirantur, perquam videantur esse ipsis terminis accidentarie.

Scio antequam singulæ Categorię essentialiter distinctæ spectentur, communiore quãsdam illorum terminorum proprietates considerari posse: vt termini mutationis vniuersæ aut momento aquiri possint, aut cum successione; tum verò differentias hæc genericas distinctione Categoriarum diuidi. Sed si generalem diuisionem queras, multò melius respondebitur, quandam esse mutationem in substantia, aliam in accidente. Magisque differunt inter se termini, quatenus vnus est substantia, alter accidens; quàm quatenus hoc aut illo modo possunt aquiri. Et lumen magis conuenit cum calore, quia sunt sub eodem genere; quàm cum substantia, quatenus potest momento produci. Quare illuminatio reuocanda potius esset ad genus, quod esset ipsi commune cum calefactione, quàm ad commune Alterationi & Generationi substantiæ.

Postremò nihil est, cur essentialis differentia petatur potius ex eo, quòd fit ad talem, aut talem terminum; quàm ex eo, quòd subito, aut successiuè fiat. Immo hæc videntur in ipsa mutatione considerari, tanquam aliquid ad eam in primis pertinens. Quoniam mutatio vt mutatio, aut subito fit, aut paulatim. Esse autem ad talem terminum, vnde successio consequatur, aut momentum; videtur esse extraneum. Quia si terminus impartibilis cum successione aquireretur, aut partibilis totus simul produceretur; essent motus & mutatio sine tali aut tali termino.

Verè igitur hac ratiocinatione concluditur, motum essentialiter esse successiuum, eumque hoc præsertim à momentanea mutatione distingui. Neque verò propterea species est quantitatis. Nam si vt est via ad terminum consideretur, in nulla per se ponetur Categoria; quia non est aliquid, quod naturam significet, quæ per se consideretur. Quin potius cum sit totus propter aliud, ad Categoriam illius reuocari debet. Eius porrò successio si per se, quatenus est extensio quædam accipiatur, species quidem est quantitatis. At non differentia motus; sed tanquam mora & duratio constituit tempus. Quatenus verò est differentia motus, nil aliud significat, quàm tendere ad aliud, velut modum illius viæ. Et idem quemadmodum via, sic successio quoque illius modus; atque omnino motus, non solum materialiter spectatus vt est forma imperfecta, verum etiam formaliter vt

Motus
in qua
Catego-
ria.

significat vlteriùs tendere & succedere; ad solam terminum, ad quem tendit & succedit, Categoriam reducit. Et de his quidem hæcenus.

TEXTVS.

Πάντα ἢ πάσης ἢ κινήσει ἀπὸ τοῦ κινήσεως ἢ ἀπὸ γὰρ ὄψεως. ἢ δὲ ἐστὶν ὡς τὸ πρὸς τὸ ἴδιον ἢ ὡς τὸ πρὸς τὸ ἄλλο, καὶ δὲ τὸ πρὸς τὸ ἴδιον ἢ ὡς τὸ πρὸς τὸ ἄλλο, καὶ δὲ τὸ πρὸς τὸ ἴδιον ἢ ὡς τὸ πρὸς τὸ ἄλλο.

B Omnia autem patiuntur & mouentur ab aliis & esse existente. Quapropter est quidem vt à simili patiuntur, est autem vt à dissimili, sicut diximus. Patitur enim quod dissimile est, passum autem simile est.

COMMENTARIUS LXVI.

Alterum nunc explicare aggreditur; An quod patitur, patiatur à simili, an à dissimili. Si enim motus est idem cum *ἐκίνησις*, id est operatione & actu; moueri quoque idem erit cum *ἐκίνησις*, hoc est fieri actu. Et idem omne, quod mouetur & patitur, aliquo modo fit actu. At quidquid mouetur, patitur, & fit actu; mouetur oportet, & fiat actu ab aliquo, quod fit actu. Propterea quidquid patitur, necesse est partim patiatur à simili, partim à dissimili. Initio enim est dissimile; quia id, quod patitur, est potentate; & id, à quo patitur, est actu. Deinde verò fit simile; quia fit actu, quemadmodum est id, à quo patitur. Ita enim sensus quoque antequam operetur, atque ab obiecto sensili moueatur & patiatur (eo scilicet modo, que antea exposui) potentate esse dicitur, non actu. Patitur autem & fit actu ab obiecto, quod est actu sensile; & idem patitur à dissimili. At post operationem, cum ipse quoque sit factus actu, illi similis est.

Adam, non solum ante operationem, esse dissimilitudinem, sed & oppositionem. Vt quoque modo in hoc quoque reperitur id, quod in prioribus libro de ortu & interitu traditum est; Actionem & passionem inter contraria versari; agensque & patiens tum dissimilia esse, tum contraria. Nam *πρὸς τὸ* hoc in actione & passione propriè dicta, que est corruptio alteratio, verum omnino est; atque vera & propria contrarietate intelligendum. At in sensu vt ea non est actionis forma, sed alia quædam longè diuersa, & quidem perficiens; ita vera contrarietas non est, quæ corrumpat; sed oppositio priuans, quæ perficientem potius formam adducat. Principio ergo sensus est potentate ad obiectum sensilis cognitionem, tanquam ad formam, à qua perfici potest; eaque caret. Deinde obiecto proposito ad eam suscipiendam mouetur, suscipiendumque magno per se perficitur, & fit actu.

Quod si ita est; illud etiam intelligitur, sensum non dici pati, aut esse patiens facultatem quod obiectum reale, aut illius speciem suscipiat in organo. Ad hanc enim non sensus, sed organum & materia potentate sunt. Sed quòd cognitionem suscipiat, tanquam obiecti formam, & facultatis ipsius actum & perfectionem.

TEXTVS.

TEXTVS.

Διαιρέσιον δ' εστι διαιρέσιον δ' εστι διαιρέσιον...

1193. Diuidendum autem & de potestate, & actu. Nunc enim simpliciter dicimus de ipsis.

COMMENTARIVS LXVII.

Ceterum vt hæc tota difficultas planior euaderet, postquam ostendit, quomodo sensus & potestate dicatur esse & actu; libuit etiam exponere, quomodo de potestate reducatur ad actum.

Hanc porro accuratam magis distinctionem propterea susceptam fuisse Philoponus credidit, vt sensum ostenderet alterationem non esse, neque motum: quod non quidquid potestate est, & ad actum ducitur, alterari dicendum sit & moueri.

Prima potestas ad formam. Duplicem igitur potestatem distinguit. Alteram, qua quidpiam aptum est sua natura suscipere habitum, nec tamen eum habet.

A est, quod ait (homo scientium est & habentium scientiam) & rursum (genus huiusmodi & materia est.) Genus autem dixit, quod vniuersa hominis natura sit ad scientiam apta, etiamsi vniuersa non sit ad contemplandum idonea: sed illi soli homines, qui scientia habitum adepti sunt.

B Alteram, qua id, quod iam habet habitum & formam actus primi, non operatur per eum, sed operari potest. Quemadmodum homo, qui Grammaticæ, Musicae, aut alterius artis & disciplinae habitum sibi comparauit; dicitur adhuc potestate sciens, dum nihil operatur.

C Potestas hæc accidentaria nimirum est & propinqua. Dicitur enim is potestate sciens, quia per habitum, quem habet, contemplari potest, & operari: neque ad id efficiendum in eo quidquam aliud requiritur.

D Duplex igitur potestas est, quia horum vterque dicitur aliquid posse: sed alio atque alio modo. Alter, quia naturalem habet aptitudinem ad sciendum; hoc est ad comparandum sibi & suscipiendum scientia habitum. Alter, quoniam habitum habet, quo operari potest. Quare prior potestas est veluti materia potestas ad formam: posterior, quasi potestas formæ ad actum secundum.

E Et hæc quidem est duplicis potestatis distinctio. Quam apposite dixit Simplicius in solis rebus partibilibus, hoc est in quibus essentia, potestas, & operatio distinguuntur, intelligendam esse. Nam in æternis, in quibus idem est esse & posse, vt est in textu 32. libri 3. Phys. nequaquam ita loquutus fuisset Aristoteles.

TEXTVS.

Ο δ' ἴδιον θεωρεῖν, ἐπιτηδεύειν δὲ καὶ κινεῖται ἐπιτηδεύειν τὸ δὲ πρὸς α.

Alius autem iam contemplans, actus existens, & proprie sciens hanc litteram, A.

COMMENTARIVS LXVIII.

Postquam duplicem potestatem distinguit, vnam ad formam, habitum, & actum primum: alteram ad operationem & actum secundum.

materiali & patiente potestate ad formam & habitum; sicut ille, qui nondum habet sensum aut grammaticam: sed solum de potestate formali & agente, hoc est ex habitu ad operationem & actum secundum. Neque mutatur essentialiter, sed accidentariè. Neque ex non sentiente aut non grammatico fit sentiens aut grammaticus: sed ex sentiente, aut grammatico non operante fit actu operans.

TEXTVS

Ὅτι ἐστὶ τὸ ἀπλοῦς εἶδος τὸ πάσχειν, ἀλλὰ τὸ πάσχειν οὐκ ἐστὶ τὸ εἶδος τὸ εἶναι. τὸ δὲ πάσχειν μᾶλλον οὐκ εἶναι οὐκ ἐστὶ τὸ εἶδος τὸ εἶναι, ὅπως δὲ δυνάμει οὐκ ἐστὶ τὸ εἶδος τὸ εἶναι, ὅπως δὲ δυνάμει οὐκ ἐστὶ τὸ εἶδος τὸ εἶναι, ὅπως δὲ δυνάμει οὐκ ἐστὶ τὸ εἶδος τὸ εἶναι, ὅπως δὲ δυνάμει οὐκ ἐστὶ τὸ εἶδος τὸ εἶναι.

Non est autem simplex neque pati: sed hoc quidem in-
terius quisiā a contrario: illud autem salus magis eius,
quod est potestate, ab eo quod est actu & simili: sic, ut se
habet potestas ad actum. Contemplans enim fit, quod
sentiam habet. Quod aut non est alterari in ipsum enim
addito & in actum aut alterum genus alterationis.

COMMENTARIVS LXX.

Vere quidem scripsit Philoponus, propterea
diversas hoc loco passionis acceptiones Ari-
stotelem posuisse; quoniam diversa potestatis &
actus significata distinguerat. Aliud tamen quiddam
eum spectasse non dubito. Etenim cum antee-
dentem illam potestatis & actus tractationem co-
referret, ut exponeret id, quod querebat, quomo-
do sensus patiendi facultas, sentire que pati quod-
dam sit & alterari: prius quidem potestatem distin-
xit & actum: quoniam omnis passio potestate
aliqua sustentatur & nititur: ut ostenderet, qualis
potestas ad sentiendum inesset in sensu; potestas
scilicet formæ & habitus ad operationem illius
propriam, tum promendam, tum suscipiendam.
Deinde verò passionis quoque distinctionem ad-
iecit, ut planè declararet, quemadmodum sensus
operando pariat, qualisque passio & alteratio
sit. Oportebat enim, inquit Simplicius, differen-
tiam ponere inter veram passionem & alteratio-
nem; & eam, qua sensus pati dicitur & alterari:
quem postremis verbis superioris textus alio quo-
dam modo pati affirmaverat.

Sicut igitur potestatem & actum pluribus mo-
dis dici ostensum est: sic passionem accipit non
vno ac simplici modo nominari; sed planè dupli-
ci: quorum alter est ad interitum, alter ad salutem
& perfectionem. Passio, quæ interitum adfert, ea
est, quæ a contrario proficitur: quod in princi-
piis qualitibus maxime apparet. Nam etsi
omnis alteratio, dum in materia formam quam-
piam producit, perfectionem quandam adducat:
si tamen forma illa consideretur, quæ antecede-
bat in materia, alteratio quædam corrumpens est.
Quia si forma, quæ producitur, sit antecedenti
contraria, nequeunt simul consistere: sed pellitur
illa & protus interit. Siquidem dum corpus ca-

A lefit, corrumpitur frigus, & accedente albore pel-
litur nigror. Altera quædam est passio, non ad in-
teritum, sed ad perfectionem potius. Quæ id quod
patitur, ita de potestate ad actum transit, ut nullam
amittat perfectionem, quam antea haberet; sed
acquirat aliam, quam non haberet. Id verò eam
ob causam euenit, quia non patitur a contrario;
sed ab eo, quod est solum actu tale, quale illud est
potestate. Et ideo non contrarium, sed magis si-
mile: eo videlicet modo, quo potestas & actus di-
cuntur similes esse; quia & vnum significat ordi-
nem ad alterum; & potestas non perficitur, nisi a
proprio actu; neque actus suscipitur aut oritur,
nisi a propria potestate: & omnino actus & opera-
tio, quæ ab habitu proficitur, similis illi est, ve-
lut proprium illius opus suæque effectus causæ.
Quocirca cum non fiat mutatio ex contraria for-
ma in contrariam, sed ex potestate in actum, atque
ex operationis priuatione in operationem ipsam;
absque vllius rei interitu perfectionem suam con-
sequitur. Neque enim qui ex scientiæ habitu con-
templatur, scientiæ amittit habitum; sed operando
colit & perficit.

Porro quod posteriori hoc modo patitur, sa-
pienter dixit Philosophus aut proprie dici non
posse alterari, aut aliud quoddam esse alterationis
genus (pro eodem autem hoc loco alterationem
& passionem usurpat). Proprie quidem dici non
potest passio aut alteratio: quoniam passio, inquit
S. Thomas, & ante eum Philoponus in tex. 58. pro-
prie decrementum quoddam significat & læsi-
onem patientis, quod ab agente superatur atque
in deteriorem statum mutatur. Alteratio autem
interpretatione Simplicij & Philoponi mutatio
quædam est corporea, quæ fit in passiva quali-
tate; dum vna corrupta suscipitur alia. At quod
posteriori illo modo patitur, perficitur potius &
aliquid illi additur; neque scientiæ habitum abici-
endo in qualitate mutatur, sed eodem qualitatis
habitu manente actum solum & operationem il-
lius assumit. Generationem maualt Philoponus
appellari, quod mutatio sit ex priuatione ad actum;
ex non operatione inquam ad operationem: qualis
generatio esse dicitur. Quod si quis passionem
aut alterationem appellare velit; aliud quoddam
fuerit minus proprium, immò & omonymum pas-
sionis & alterationis genus. Atque hoc modo
pati sensus dicitur & alterari. Quia dum operatur,
nihil illi perit, neque fit mutatio ab vna forma in
aliam: sed perficitur solum, operationem susci-
piendo tanquam sensibilis obiecti formam, ad quam
erat potestate. Et ideo a priuatione transit ad actum.
Et quia potestate est id, quod sensibile obiectum
est actu; ab eo, quod est actu, deducitur ad actum,
eique quantum potest euadit simile. Ita sentire
est pati quoddam & alterari: non corrupendo,
sed perficiendo; omnino diversam ab eo, quod
passim & in communi sermone nominamus.

Iam verò ex hoc loco licet colligere id quo-
que, quod antea sapius adnotavi, sensum non di-
ci facultatem patiendi propterea, quod obiectum
speciem in organo, sed quod ipsemet operationem
suam obiectique cognitionem in se suscipiat. Sic
enim eum pati & alterari exponit Philosophus,
quod ex actu primo & habitu in actum secundum
& operationem prodeat.

Sicut vs-
patia-

TEXTVS.

Διὸ ἢ καλῶς ἔχει λέγειν τὸ φρονεῖν, ὅταν φρονῇ, ἀλλ' οὐκ ἔστιν ὡς ἀπὸρ ἔστι τὸ οἰκοδομεῖν ἄνευ οἰκοδομῆς. τὸ γὰρ οὐκ εἶς ἐπιπέλειται ἄνευ οὐ διδάσκειν ὄντος, καὶ τὸ νοεῖν ἢ φρονεῖν, ἢ διδάσκειν, ἀλλ' ἐπέχει ἐπινοημάτων ἔχειν δέχεται.

Text. 18.

Quocirca non rectè se habet dicere sapientem, cum sapit, alterari: sicut nec edificatorem & cum edificat. Quòd igitur in actum ducit ex eo, quod est potestate, secundum ipsum intelligere & sapere, non doctrinam, sed alterari habere nominationem æquum.

COMMENTARIUS LXXI.

Aperta omnino est orationis huius sententia. Nam post duplicem distinctam passionem atque alterationem, corruptentem & perficientem, id potissimum colligit, quod quærebat. Et quoniam passionem & alterationem perficientem dixerat minùs propriè passionem alterationem ite appellari: sapientem hominem deducit aut scientem, dum ex sapientiæ aut scientiæ habitu operatur, non rectè, hoc est propriè, dici pati aut alterari: neque item ædificatorem, quando ædificat; neque artifices reliquos, dum ex arte quidpiam efficiunt. Qui tamen magis, quàm sapiens aut sciens, alterari videntur; quia corpore quoque operantur, non anima sola, ut illi. Sed tamen etsi illi corpore moueantur, is tamen est localis motus, non alteratio. Et si alterentur quoque, dum operando calefcunt, id ex accidente est, & nihil calefcendo persapè artificia perficiunt.

Itaque argumentatio videtur esse à maiori ad minus. Etenim si artifices, qui corpore quoque operantur, propriè non alterantur; multò mindus sapiens & sciens. Non enim in patibilibus qualitatibus mutantur, neque in illis quidquam corrumpitur, sed perficiuntur magis & in habitu, quem habent, proficiunt, dum illius operationem edunt & à priuatione ad actum transeunt. Quocirca cum is, qui ita per habitum scientiæ operatur, non adipiscatur tunc primùm scientiam; sed ea, quam habet, utatur atque in ea perficiatur; dici non potest doceri aut discere: neque transitus ille ex scientiæ habitu ad contemplationem & ex ea potestate accidentaria ad operationis actum appellari doctrina potest: neque id, quod ex potestate deducit ad actum (obiectum scilicet, quod contemplandum proponitur) dici debet docere. Tum quia nouam hæc omnia scientiæ acquisitionem significant. Tum quia is, qui obiectum illud contempletur, nequaquam ab eo discit, inquit Philoponus; quoniam neque is patitur ab obiecto, neque obiectum in eum agit. Sed aliquo alio modo nominari debet, qui nondum fortasse nominatus est, sed nominari posset. Sic igitur habet id quod in potestate secunda consideratur, atque ab habitu ad operandum transfit.

A

TEXTVS.

Τὸ δ' ἐν διδάσει ὄντος μαθητὸν ἢ λαμβάνειν ἐπιπέλει τὸ ἐπιπέλειν ὄντος ἢ διδάσκειν, ὅτι τὸ ἐπιπέλειν φασὶν. ὡς ἀπὸρ ἐστὶν ἢ διδάσκειν ὄντος, τὸ δὲ ἐπιπέλειν τὸ ἐπιπέλειν ὄντος, τὸ δὲ ἐπιπέλειν ὄντος, τὸ δὲ ἐπιπέλειν ὄντος, τὸ δὲ ἐπιπέλειν ὄντος.

B Quod autem, potestate cum esset, addiscit & accipit scientiam, ab eo, quod est actu & docendi facultatem habet: aut neque pati dicendum est, sicut dictum est: aut duos esse alterationis modos, tum eam, quæ ad priuatas dispositiones mutationem; tum eam, quæ ad habitus & naturam.

COMMENTARIUS LXXII.

Postquàm exposuit quemadmodum se habet id, quod habet habitum & ad operandum mutatur: voluit etiam ostendere, quomodo id se habeat, quod est in prima & essentiali potestate, atque ad habitum comparandum addidit. Nam qui nondum scientiæ habitum habet, cum ad eam sit potestate, addiscit atque illius sibi habitum comparat alterius ope, qui eam actu habeat & posset illi docendo tradere: quorum alter verè docere dicitur, alter discere: proprièque in vno doctrina vocatur, in altero disciplina. Non enim sine causa credendum est, Philosophum in hac mutatione, addiscendi & docendi verbis vsum fuisse. Sed vt eam distingueret ab altera, quam doctrinam dixerat nominandam non esse, sed alio prorsus modo. Quòd si quis inuentione propria, non ab alio, scientiam aquirat; ipse docentis & discipulis vim subit: inuaturque ab alio, quod sit actu; neque ab intellectu illuminato cognitioneque principiorum actuato, ex quibus ille conclusiones deducit. Tamen si de eo solo id affirmavit Philosophus, qui ab alio doctus addiscit.

Verùm cum hoc modo mutationes hæc distinguantur; conueniunt tamen eo, quòd vt de priore dictum est, ita de hac quoque existimare oportet: ne eam quidem passionem esse aut alterationem, nisi duo distinguantur alterationis modi; sicut & antea distincti sunt. Alter proprius ad priuatas dispositiones, hoc est ad interiorum atque antecedentis formæ priuationem. Hanc enim alterationem corruptentem antea nominauit: non quòd illius terminus per se corruptio sit & priuatio; sed quòd cum nonne formæ productione hæc quoque coniuncta sint. Alter minùs proprius ad habitus & naturam: hoc est à priuatione ad habitum & ad solam naturam conuenientem perfectionem acquirendam, abique vllius rei iactura: quod alterationis generis salutare & perficiens superius appellatum fuit.

Quòd si non ex priuatione, sed ex contrario erroris habitu ad scientiã transeamus; id ex accidente fuerit: neque transibimus quatenus errorem habemus, sed quatenus cognitione vera careremus.

remus : eodemque modo transiremus, si sola in nobis inesse priuatio. Si igitur duplex hoc passionis & alterationis genus distinguitur: tum qui scientie habitum acquirit: tum qui eo aquiritur contemplando; posteriore genere pati dicentur & alterari; priore non dicentur; si proprie & accurate loquamur.

TEXTVS.

Τὸ δ' αἰσθητικόν, ὃ ἰσὺ ἀσθενῶν μεταβολῶν γίνεται ἕως τοῦ ἡσθητικῶτος. ὅταν δ' ἡσθητικὸν ἔχει ἡδὺ ἢ ὀσπρὸν ὀσπρῶν, καὶ τὸ αἰσθητικόν. καὶ τὸ κατ' ἐπίνοιαν δ', ἐμῶν, λέγεται τὸ εἰσθητικόν, διαφέρει δ' ἐπὶ τοῦ ἰσὺ τῶν κινήσεων δ' ἀσθενῶν, ἔξωθεν τοῦ ἔσθου δ' ἢ ἀκινήτων. ἐμῶν δ' καὶ τὰ λοιπὰ τῶν αἰσθητικῶν.

Ta. 39. Sensitivum autem prima quidem mutatio fit à generate. cum autem genitum fuerit, habet iam sicut scientiam & ipsum sentire. Quod autem secundum actum est, eodem modo dicitur, quo contemplari. Distinet autem; quia huius quidem operationis actiua extra, aspectabile & audibile: similiter autem & sensilia reliqua.

COMMENTARIUS LXXIII.

Quæcumque hætenus ab Aristotele de potestate & actu dicta sunt, deque modo transeundi à potestate ad actum; eò tandem spectabant, ut naturam & vim sensus exponeret; atque doceret quo modo sensus sit facultas patiendi, & sentire sit pati. Quo exposito consequens erat dicere, quomodo & à quo sensus à potestate traducatur ad actum. Sanè in tex. 56. grammaticam & sensum coniunxit, ubi dixit (hic autem ex eo quòd habet sensum aut grammaticam. Quare cum hætenus post exposuisset quomodo res habeat in grammatica seu scientia; consequens erat de sensu dicere, quem præcipue propositum sibi habebat. Hoc igitur est, quod nunc agit; ad id veniens, quod tertium totius huius generalis sensuum contemplationis caput est.

Duplicem autem potestatem esse docuerat, duplicem actum, mutationemque duplicem, qua transiunt à potestate ad actum: atque id quemadmodum in intellectu se habeat, postremo exposuit. In sensu verò sic habet. Dicimus quidpiam potestate prima & essentiali sentiens, quod sentiendi facultate præditum nondum est: quemadmodum semen aut fetus, antequàm sentientem accipiat animam. Prima hæc mutatio, qua actum primo & essentiali, tanquam habitu sentiens efficitur, à generate: sicut prima intellectus mutatio ad scientie habitum fieri dicebatur à docente, qui veluti generans est. Nam generans,

A dum sentientem animam dat, sentiendi item adducit facultatem, quæ animam comitatur. Atque id, quod eam habet, est sicut is, qui scientie habitum adeptus est; eodemque modo ad sentiendum se habet, quo sciens ad contemplandum. Uterque enim est actu primo & essentiali; at potestate secunda & accidentaria ad secundum operationis actum; contemplationis inquam & sensationis. Et ideo sensio est ut contemplatio: & ut ipsemet, qui habet scientiam, obiecto proposito deducit se ad contemplationem; ita & habens sensum deducit se ad sensationem. Protinus enim vagit natus puertulus frigidum aërem sentiens & non conuicti luminis aspectum agrè sustinens.

B Philoponus verò, dum primam mutationem fieri ait à generate, alteram à sensibus obiectis; non satis videtur Aristotelis mentem alliguitus; qui sentire affirmavit perinde dici ac contemplari. Ut enim contemplari ab habitu scientie nascitur nullo exterius mouente: ita & sentire à sensu, qui est veluti habitus ad operandum: posito tamen obiecto, circa quod operetur. Hoc verò inter scientem & sentientem interest, quòd sciens & contemplans exteriori obiecto non indiget, cum illud in se ipso per habitum scientie habeat. At sensus eget; colore scilicet aspectabili, aut audibili solo, eodemque modo in cæteris sensibus. Remoto enim colore, sono, aut alio eiusmodi sensili, nulla est sensio: exterius autem occurrente obiecto, protinus sentitur. Quare sensationis actiua sunt extra, contemplationis intra.

C Obiectum porro sensationis actiuum appellat non quòd verè & proprie in sensum agat. Tum quia si verè & proprie ageret, sensus verè & proprie pateretur, moueretur, alteraretur; & intellectus quoque ab intellectu obiecto: id verò antea negatum est. Tum quia in intellectu nulla potest actio propria cogitari: in sensu est in tactu maxime & gustatu & quoquo modo in odoratu & auditu realis actio esse videatur; in aspectu tamen à coloribus non est. Immo si reliqua sensilia obiecta quidquam agunt, in organum solum corporeum agunt, non in sensum. Sed quemadmodum improprie & obliquè, aliòque quodam passionis & alterationis genere, dicitur sensus aut intellectus pati vel alterari: ita & obiectum improprio quodam alio actionis genere dicitur sensationis aut intellectus actiuum: quatenus sua præsentia excitat, pronocat, & determinat facultatem ad operandum, ut antea pluribus declaravi. Actiuum enim non proprie nominari, ex superiore tractatione manifestum est: sed pro omni eo: quòd quocumque modo à potestate traducitur ad actum; quouitque modo est causa, ut aliud ad actum transeat, quod alioqui vim in se ipso habet transeundi; quòd sit in actu primo & essentiali, qui vim habet secundum actum promendi.

E Illud autem inter sensum & intellectum voluit interesse, quòd obiectum sensus sit extra, intellectus intra: Quod non videbitur omnino verum, si interiores sensus consideres; qui obiectum intra habere videntur. Verùm de illis nihil hoc loco dixi; propterea quòd nondum eos

Secundum in se ipso.

Obiectum ut sensus actiuum.

Sensus obiectum videntur.

ab intellectu distinguerat : sed de solis exterioribus, tanquam omnibus notis, loquutus est. Quamquam interiorum sensuum obiectum esse intra, illi soli affirmarent, qui species ab exterioribus obiectis immixtas admitterent. Tamen si ne id quidem omnino verè diceretur. Siquidem ex species obiectum non essent, sed obiecti formæ & similitudines; quibus obiectum ipsum cognosceretur. Qui verò species illas non agnosceret, veritùs pronuntiaret sensuum omnium, tum exteriorum, tum interiorum, obiectum esse extra, solius intellectus intra.

Defini-
tio sensus.

Quocirca totam hanc interpretationem concludentes, exploratam ex ea planè habemus naturam sensus. Est enim patiendi facultas, quæ à generante simul cum anima, cuius ea vis est, produciuntur; & ubi producta est, occurrente illi obiecto sensibili, ex se ipsa prodit in actum suum & operatur, eumque suscipiendo patitur.

TEXTVS.

Αἴτιον δὲ, ὅτι τὸ κατὰ ἕνα ἢ κατὰ ἐστὴν αἰσθάνει, ἢ δὲ ἐν ἑαυτῷ ἢ ἐξ ἑαυτοῦ, ταῦτα δὲ ἐστὶν αἰσθάνειν ἢ ἐν ἑαυτῷ. Ὡς γὰρ τὸ αἰσθάνειν ἢ ἐν ἑαυτῷ, οὐκ ἔστιν αἰσθάνειν ἢ ἐξ ἑαυτοῦ, ἀλλὰ τὸ αἰσθάνειν ἢ ἐξ ἑαυτοῦ, οὐκ ἔστιν αἰσθάνειν ἢ ἐν ἑαυτῷ. Ὡς γὰρ τὸ αἰσθάνειν ἢ ἐξ ἑαυτοῦ, οὐκ ἔστιν αἰσθάνειν ἢ ἐν ἑαυτῷ, ἀλλὰ τὸ αἰσθάνειν ἢ ἐν ἑαυτῷ, οὐκ ἔστιν αἰσθάνειν ἢ ἐξ ἑαυτοῦ.

Tex. 60.

Causa autem, quia rerum singularum secundum actum sensus; scientia autem vniuersarum. Hæc autem in ipsa quodam modo anima. Quare intelligere quidem in ipsa, cum vult; sentire autem non in ipsa. Necessarium enim esse sensibile. Similiter autem hoc se habet in scientiis vniuersarum: & propter eandem causam; quia sensibilia singularum rerum & exteriorum.

COMMENTARIVS LXXIV.

Causam exponit eius, quod dixit, obiectum sensus esse extra, intellectus intra. Causa autem est, quoniam sensus operatio circa res singulas versatur, intellectus circa vniuersas. Res enim singulae sunt extra, & in seipsis subsistunt, non in anima. Quin potius quia necessariae sunt animalibus ad sustentandam vitam; tribui fuerunt illis sensus à natura, vt sensilibus rebus ad salutem suam vterentur. At res vniuersae in ipsa quodam modo sunt anima. Nam quaecumque sunt extra animam in tota hac rerum vniuersitate, ea singula sunt, non vniuersa. Naturam enim habent in rebus singulis productis existentem; quæ si vniuersa fieri debeat, mentis actione opus est; quæ à rebus singulis singularumque propriis conditionibus separatur. Quam ob causam in textu octauo libri primi vniuersale dicebatur aut nihil esse, aut quid-

am singulis rebus mentisq; actione posteriorius. Porro cum dicitur (rerum singularum secundum actum sensus) ne cum rebus singulis coniungas illud (secundum actum) vt sententia sit, sensum versari circa res singulas, quæ actu sint. quid enim erat opus hoc addere? aut quænam sint res singulae, quæ actu non sint, si productæ sunt? sed coniungas cum sensus qui & actu esse potest & potestate: neque secus interpretari permittit græcus textus; sic enim habet (ὡς καὶ ἐστὶν αἰσθάνειν αἰσθάνειν, hoc est sensus qui secundum actum.

Auerroës autem vniuersas res hoc loco interpretatus est phantasmata; quæ vniuersa sunt potestate, non actu: & idè non absolute, sed quodam modo dicuntur esse in anima. Simplicius quoque intelligi noluit vniuersa, quæ multis enuntiantur. Quoniam ea, inquit, non sunt in anima, sed in rebus singulis, de quibus enuntiantur. Verùm vniuersa scibilia, quæ particularium rerum, quæ sciuntur, primæ sunt ac supremæ causæ: prima scilicet principia, ex quibus scientiarum omnium conclusiones omnes deducuntur. Et idè quodam modo dicuntur esse in anima; quoniam primariè non insunt in anima, sed quatenus ea coniuncta est cum intellectu, qui prima illa intellectibilia habet quasi connata. Verior est & Aristotelis magis accommodata Philoponi, Alberti, sancti Thomæ, ac ceterorum interpretatio; vniuersa ea dicitur, quæ re ipsa quidem sunt in rebus singulis, & idè de illis affirmantur: Mentis tamen actione ab illis separata considerantur. Hæc enim sunt scientiarum obiecta, cum quibus comparantur sensus: sicut singulae res, quæ extra animam subsistunt, obiecta sensuum sunt.

Cur autem non absolute, sed quodam modo dicantur esse in anima, multæ afferuntur causæ. Dux à Philopono. Altera; quoniam videntur quidem in ipsa esse, velut in loco aliquo; quemadmodum dicitur in text. sexto libri tertii, non tamen propriè, sed per quandam similitudinem & analogiam. Altera; quam pluribus post sanctus Thomas exposuit; quoniam verè, re ipsa, & vt in scolis loquimur, materialiter considerata, in singulis rebus subsistunt; in anima verò quatenus vniuersa sunt & formaliter spectantur. Tertia additur ab Alberto, quam ab Aueroë accepit. Sunt enim in anima, non actu, sed potestate: dum non ipsa, sed eorum imagines, hoc est phantasmata, habet anima, à quibus potest vniuersa abstrahere.

Liceat & mihi adferre aliquas. Prima hæc erit; quòd res vniuersæ à singulis abstractæ in anima sunt; non tanquam forma in subiecto, sed velut obiectum in cognoscente facultate. Altera; quòd magis verè & reali existentia sunt in rebus singulis extra animam; ibi verò quoquo modo. Tertia; quòd res vniuersæ, quæ scientiarum conclusiones sunt, non secundum suam naturam, sed quatenus scientiæ habitu comprehenduntur, in ea sunt anima, quæ scientiæ habitum adeptæ sit. Quarta; quòd res vniuersæ intelligendo sunt, suntque per intellectiōnem in anima, quæ naturā à singulari rerū cōditionibus absolute, & accuratè loqui velimus, hominem potius dicemus anima intelligere, quàm animam intelligere; vt

int. 64.

in t. 64. libri primi dictum est: quoniam actiones omnes suppositorum sunt. Quapropter hoc ipso in loco ex differentia, quam inter sensum & intellectum esse docuit; quod sensus obiectum sit extra, intellectus in ipsa anima; aliam quamdam colligens; nimirum nos intelligere posse, quando volumus, quia & in nobis habemus intelligendi facultatem, & obiectum ipsum intelligendum scientiæ habitum comprehensum: sentire autem non posse; quoniam etsi facultatem sentiendi habeamus, in nobis tamen sentiendum obiectum non est, sed extra nos; neque sine obiecto vlla potest esse sensio, neque illud nobis semper est præsens: hanc inquam differentiam inter sensum & intellectum exponens, non dixit (intelligere in ipsa est) hoc est in anima, in qua dixerat quodammodo esse vniuersale: sed in ipso; hoc est in homine, qui animam habet. quoniam illi propriè tribuenda est operatio ea, quæ fit ab anima, quæ illius pars est & forma.

Car. 1. sens obiectum sentire, intellectum vel etiam absens; propterea fit. Tum quia omnis cognitio sensus constat intuitu; intellectus abstractione quoque vti potest. Tum quod sensuum cognitio in nobis est omnium prima, intellectus sensum supponit. Itaque cum obiectum vbi que necesse sit coniunctum esse cum facultate, vt ab ea cognoscatur; cum sensu non nisi reali presentia coniungi potest: Intellectui præstò est phantasia, quæ obiectum licet absens proponat. Absente igitur obiecto aut nulla fuerit sensio, si nullo modo adsit: aut certè momentanea & insensibilis, si adsit quidem, sed statim remoueat. Quemadmodum si præusta fudes circumducatur, cernitur ignis in orbem: at propter motus velocitatem vix animaduertitur tempus. Olorato corpore ex arca remoto diutius & multo inter dum tempore sentitur odor, quod odorifera remaneat exhalatio, adsitque odoratus obiectum.

Per somnum item non raro gustamus dulce, & audimus sonum; quorum tamen neutrum adest. Sunt qui sensiones illas interiori sensui tribuant, non exteriori. Alij etiam exteriori; quod species, quæ in vigilia fuerant à sensu ad phantasiam transmissæ, mox in leui somno reflectantur interdum atque ad sensum recurrant. Quæ Auerrois fuit sententia in paraphrasi de somno & vigilia cap. de somniis, & in tertio colliget capite 38. Ego & exteriorem sensationem esse non dubito, & obiectum præsens agnosco. Defluente namque pituita per guttur, quid mirum, si dormiens gustare se dulce existimet? dùmque in leui somno, qui non procul abest à vigilia, sonum quempiam leuiter subaudit, strepitum aut musicam audire se iudicat. Crescunt & hæc phantasia vehementius operante. Verum de his alibi.

Quod autem subiunxit Philosophus, sensuum rerum singularum esse, scientiam vniuersarum; magnam sanè habet difficultatem & ad grauem nos posset disputationem trahere; Num intellectus cognoscat res singulas, an vniuersas dumtaxat; quòdque proprium sit illius obiectum. At quoniam ea ad alium locum magis

A pertinet, satis erit nunc dicere; sensum quidem solas res singulas & materiatas posse percipere; quoniam is materiata & organica facultas est; materiæ scilicet & organo corporis alligata: intellectum autem res quoque vniuersas & à materia separatas; quoniam immaterialis & ab omni corporeo organo libera virtus existit. Philosopho autem non fuit hoc loco propositum ita facultates hæcè distinguere, vt intellectus res solas vniuersas, non item singulas: sed ita vt solas singulas sensus, intellectus vniuersas quoque cognoscat. Sicut enim is materiatas solas, hic immaterialis quoque; hoc est & materiatas & immaterialis: ita is solas singulas, hic vniuersas quoque; hoc est & singulas & vniuersas, cognoscere posse pronuntiantur. Cuius rei argumentum est; quòd practicas scientias statim addit circa res sensibiles & singulas veritari, quemadmodum versatur sensus. Immo verò in singularum cognitione alio prorsus modo intellectus se habet, quam sensus. Etenim sensus non solum circa res singulas occupatur, sed etiam singulari modo, quatenus ea sunt in hoc loco & tempore & cum singularibus aliis conditionibus: nec eas vnquam potest abstrahendo cognoscere, sed præsentem solum intuendo. At intellectus est vniuersorum, hoc est aut naturam vniuersam cognoscit, aut certè vniuerso modo; non præsentem rem modo intuendo, sed & absentem considerando: quòd in nobis sæpè experimur, & omnino vt in contradistinctis facultatibus, vt in quinque sensibus exterioribus, diuersa prorsus oporteat esse obiecta; in subordinatis tamen, quales sunt sensus & intellectus, satis esse quampiã diuersitatem modi, testatur communis sensus, qui eadem cognoscit particularium sensuum obiecta, sed alio quodam modo dum inter illa discrimen ponit: sensus in singulari cognitione sistit; intellectus ex singulari ad vniuersalem, quòd proprium illius obiectum est, cognitionem ascendit. Ergo vniuersum intellectus obiectum sunt omnia vt dicitur in tex. 4. lib. 3. proprium autem ac præcipuum est vniuersale & quiditas ipsa: sensusque & intellectus differentiam philosophus hoc loco accepit ex eo, quod cuiusque proprium est ac peculiare.

In actibus tamen, quæ sensus res tractant, vt in illis aut ex illis quidpiam efficiant (has enim, siue practicae sint, siue effectiuae, scientias sensibiles hoc loco nominat) addit eodem modo se habere, quo se habet sensus; & propter eandem causam. Nam quemadmodum quia sensus circa res singulas exteriores versatur, non est in nobis sentire quando volumus; sed quando præsens fuerit obiectum: ita in hoc artium genere, quod circa res sensibiles, quæ singulae sunt & exteriores, versatur, operari non licet, neque artifex erit in actu perfectus, nisi obiectum præsens habuerit. Neque enim sanabit medicus, neque faber quidquam effecerit, quando voluerit; nisi præsens obiectum fuerit.

EEE ij

Intellectus
autem
singularia
cognoscere.

sum potius dixisset sentientis animæ facultatem A esse, quæ ab exterioribus obiectis sensilibus patiens quoquo modo & alterata potest omnia illa cognoscere, de quæ illis iudicare.

DE OBIECTO SENSILI.

CAP. VI.

TEXTVS.

Γα. 63. Ἀκατῶν δ' ἕκαστ' ἐξέσται αἰσθητὸν ὅτι τ' αἰσθητῶν κατῶν. B

Dicendum autem per singulos sensus de sensilibus primùm.

COMMENTARIVS LXXVI.

Vniuersa & generalis cognitio in vnaquaque doctrina & disciplina minis perfecta existimatur: nec vllus ea erit contentus, qui aut accurate docere, aut distinctè & perfectè discere velit. Sed post vniuersi generis cognitionem ad singularum specierum peruestigationem vterque profectò accedet. Aristoteles de sensu hætenus vniuersè loquutus ad singulas nunc descendit species; dicendūque de vnoquoque sensu singillatim proponit. At quoniam in tex. 33. de obiecto antea agèdum esse posuerat, quàm de facultatibus: antequàm ad singulorum sensuum tractationem accedat, de obiecto sensili dicendum esse constituit.

Antea quidem visus agere de sentiente facultate in genere; nec tamen de sensili obiecto vniuersè sermonem habuisse. At nequaquam ita est. Immo quidquid de sensu docuit, ex obiecto sensili deriuauit; & vt ait Philoponus, de vtroque simul egit. Nam vt mittam id, quod sæpius affirmauit; sensum patiendi facultatem esse, patique, moueri, & alterari ab obiecto sensili: in tex. 52. sensum dixit sine obiecto sensili exteriore nihil sentire; esseque elementorum, aut per se, aut ex accidente. Et in tex. 59. exterius obiectum esse actuum operationis, nec sine eo deduci sensum à potestate ad actum. Et in tex. 60. obiectum sensus esse res singulas, prioris que ad sensationem necessarium esse. Ac demum in tex. 62. obiectum sensile actu esse tale, qualis potestate est sensus: & idè ante sensationem esse dissimile, post sensationem simile. Neque præter hæc aliud quidquam ferè supererat, quod de obiecto vniuersè considerato dici hoc loco deberet, aut ad naturam sensus cognoscendam magnoperè pertineret. Iam verò de singulis sensibus acturus, quemadmodum hæc tractatio specialis magis & distincta futura est, sic ad eam se se præparans, magis etiam in specie & distinctè de sensili obiecto loquitur: vt scilicet quenam sit ea, quæ ad sensus propriè pertinet, & quibus vnusquisque sensus constituitur, intelligi possit.

TEXTVS.

Ἄρατοι δ' τὸ αἰσθητὸν περιεχόμενον δὲ τὸ πρὸς αὐτὸ ἐκαστὸν αἰσθητὸν τὸ δ' ἐν τῷ ἀσυνεχῆτος τ' ὁ δὲ τὸ πρὸς ἑαυτὸν ἔχοντος αἰσθητῶν, τὸ δ' κοινὸν πάντων.

Dicitur autem sensile tribus modis: quorum duo quidem dicimus per se sentiri, vnum autem ex accidente. Duorum autem aliud quidem proprium est vniuscuiusque sensus, aliud autem commune omnium.

COMMENTARIVS LXXVII.

D Vas igitur sensilium obiectorum diuisiones proponit. Alteram generalem, qua obiectum sensile vniuersum in id diuidit, quod per se, & id, quod ex accidente sentitur. Per se id sentiri dicitur, quod idè sentitur, quia afficit & mouet sensum. Ex accidente autem illud, quod sensum quidem non afficit, cum sensili tamen per se, quod afficit, coniunctum est. Alteram magis specialem: qua obiectum sensile per se rursum diuidit in obiectum commune, & obiectum proprium. Is tamen omnia hæc simul complectens vnicam quasi partitionem primùm proponit: obiectum sensile triplex esse, duo per se, tertium ex accidente.

Cuius partitionis hæc potest exponi ratio. Quoniam sensus facultas est materialis & organica, tribus modis considerari potest: aut genericè, vt facultas est: aut in specie, vt hæc aut illa facultas est: aut demum, vt materialis & organica; quæ generalis est sensuum omnium conditio. Quatenus genericè consideratur, obiecto sanè sensili eger: quemadmodum nullum est genus à speciebus separatam, ita nec vllus sensus, nec obiectum vllam sensile à speciebus singulis distinctum. At dum in specie singuli sensus accipiuntur, duo existunt sensilium genera; proprium, & ex accidente. Etenim singula facultates opus habent obiecto proprio, à quo & naturam suam, & à cæteris distinctionem accipiant. Hoc sensilis illa qualitas est, circa quam vniuscuiusque operatio versatur: vt aspectabilis qualitas comparatione aspectus, & audibilis comparatione auditus: lumen, inquam, colorque, & sonus. Quocirca cum facultas vnaquæque sensili proprio constituitur & distingatur; manifestum est tot esse priorum sensilium genera, quot sentientes facultates sunt. Loquor de obiectis formaliter consideratis. Sunt autem quinque exteriores facultates sentientes (de his enim nunc sermo, de interioribus postea,) aspectus, auditus, odoratus, gustatus, tactus: totidem igitur sensilium priorum genera; aspectabile, audibile, odorabile, gustabile, tactile. Neque in his enumerandis Philosophus laborauit: quoniam tot esse, quot sensus; manifestum erat, si facultatum numerus ex obiectis deriuatur.

EEE iij